Et hoc minus veniet ad me muneris,
Quod plus consumet temporis dilatio.
Si citò rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutiùs, si celeriùs cœpero.
Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquiæ:
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adjuvare bonitas nitetur tua,
Cum jam desierit esse beneficium utile,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces sexcenties,
Proclivis ultro cum sit misericordia,
Sæpe impetravit veniam confessus reus,
Quanto innocenti justiùs debet dari?
Tuæ prius sunt partes, aliorum dein:
Similique gyro venient aliorum vices.
Decerne, quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus, quem pręposuit, terminum;
Sed difficulter continetur spiritus
Integritatis qui sinceræ conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires, apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer, sententiam
Palam mutire plebejo periculum est,
Dum sanitas constabit, pulchrè meminero.

EXPLICIT LIB. IV.

INCIPIT LIB. V.

CUM destinassem operis habere terminum,
In hoc ut aliis esset materiæ satis,
Consilium tacito corde damnavi meum;
Nam si quis talis etiam est tituli artifex;
Quo pacto divinabit quidnam omiserim,
Ut illum ipsum cupiam famæ tradere:
Sua cuique cum sit animi cogitatio,
Colorque proprius? Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.

Quare